Quelle: https://manuscripta.at/?ID=128
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

probabile ac non necessarium. Philosophus vero ac demonstrator de sola tantum veritate pertractat. atque ideo sive sint probabilia sive non sint, nichil refert, in- dum sint necessaria. Hic quoque his duabus speciebus utitur argumenti, que sunt probabile ac necessarium, necessarium ac non probabile. Patet igitur in quo philosophus ab oratore ac dialectico in propria consideratione dissideat, in eo scilicet quod illis probabilitatem huic veritatem constat esse propositam.

Quarta vero species argumenti quam nec argumentum quidem recte dici superius monstravimus sophistis sola est attributa. Topicorum vero intentio est verisimilium argumentorum copiam demonstrare. Designatis enim locis e quibus probabilia argumenta ducuntur, abundans et copiosa necesse est fiat materia disserendi. Sed quoniam ut supra dictum est probabilium argumentorum alia sunt necessaria, alia non necessaria, cum loci argumentorum probabilium dantur, eveniunt ut necessariorum quoque doceantur. Quo fit ut oratoribus quidem ac dialecticis hec principaliter facultas paretur. Secundo vero loco phylosophis. Nam in quo probabilia quidem omnia conquiruntur, dialectici atque oratores iuvantur. In quibus vero probabilia ac necessaria docentur, phylosophice demonstrationi ministratur ubertas.

Non minus igitur dialecticus atque orator verum et iam demonstrator ac vere argumentationis effector habet quod ex propositis locis sibi possit assumere, cum inter argumentorum probabilium locos necessariorum quoque principia tradita mixta contineat. Illa vero argumenta que necessaria quidem sunt, sed non probabilia, atque illud ultimum genus scilicet, nec probabile nec necessarium, a proposita operis consideratione seiunctum est, nisi quod interdum quidam sophistica loci exercendi gratia lectoris adhibentur. Quo circa topicorum pariter utilitas intentioque patefacta est. His enim copia et dicendi facultas et investigatio veritatis augetur. Namque dialecticos atque oratores locorum iuvat agnitio, orationi per inventionem copiam prestat. Quod vero necessariorum doctrinam locorum phylosophis tradit, viam quodammodo veritatis illustrat. Quo magis persequenda est rimandaque ulterior disciplina, eaque cum agnitione percepta sit, usu atque exercitatione firmanda.

Magnum enim aliquid locorum consideratio pollicetur, scilicet inveniendi vias. Quod quidem hi qui sunt huius orationis expertes, stolido prorsus deputant ingenio. Neque intelligunt quantum hac consideratione queratur, que in artem redigit vim potestatemque nature. Sed de his hactenus, nunc de reliquis explicemus.